seus

Placzkowski Alberti: Regimen magnificum sub felicissimis auspiciis virtutis, sapientiae et meritorum doctorali laurea theologica coronatum.

# REGIMEN
## MAGNIFICUM
Sub felicissimis auspicijs
*Virtutis, Sapientiæ & Meritorum*,
DOCTORALI LAVREA THEOLOGICA
# CORONATUM;
dum
*Magnificus, Perillustris & Admodùm Reverendus Dominus*
# D. M. FRANCISCUS KALEWSKI,
S. Th: Licentiatus & Professor, COLLEGA Major, Ecclesiarum Collegiatarum SS. OO. Crac: PRÆPOSITVS, S. ANNÆ DECANVS, Zielonecensis CVRATVS, Historiographus Petricianus, Contubernij Sisiniani PROVISOR, Studij Generalis, Almæ Vniversitatis Cracoviensis Vigilantissimus RECTOR.
à
*Perillustri & Reverendissimo Domino*
# D. M. MARTINO WALESZYNSKI,
S. Th: Doctore & Professore, ejusdem Facultatis DECANO, Collegij Majoris SENIORE PATRE, Ecclesiarum, Cathedralis Cracoviensis CANONICO, Montis S. GEORGII in Scepusio & Præmykoviensis PRÆPOSITO, Contubernij Hierozolymitani PROVISORE, Canonizationis B. IOANNIS CANTII PROCVRATORE, Librorum per Diœcesim Cracoviensem Ordinario CENSORE, Studij Generalis Vniversitatis Cracoviensis PROCANCELLARIO,
*In Ecclesia Collegiata Sanctæ ANNÆ*
## SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTOR
Ritu Solenni crearetur;
*Inter publicos Ordinum Academicorum applausus*,
à
M. ALBERTO PŁACZKOWSKI, Philosophiæ Doctore, Rudoviano Professore, Collega Minore, Vniversitatis Cracoviensis SYNDICO.
*Officiosè calamò*
## PROMULGATUM.
*Annò Regnantis in carne humana DEI. 1732. Mensis 30. 7bris*

CRACOVIÆ. Typis VNIVERSITATIS.

# REGIMEN MAGNIFICUM

Sub feliciſſimis auſpicijs
*Virtutis, Sapientiæ & Meritorum*
Doctorali Laureâ Theologicâ

# CORONATUM.



## Benè & feliciter

ſuis inaugurantur Imperijs,
Virtutis murice Purpurati,
aurô decori Sapientiæ,
cumulô Meritorum graves,
Sceptrorum Moderatores.
Non eſt opus,
Delphos ut petant ſciſcitatum Oracula Phæbi,
quis fuerit eorum progreſſus dominandi?
Non à volucribus Romuli,
aut à flammis parvi Iuli tempora lambentibus:
non à vittis cælo decidentibus ab alto,
frontemq; coronantibus Timoleonis,
vana omina proſperioris Regiminis capiant.

Felix

# Felix Imperium;
cui
pro ſignis futurorum ſucceſſuum Inſignia hæc:
Virtus, Sapientia & magnitudo geſtorum ceſsêre.
Regulam illa & rationem benè agendi, tanquam medium;
ut omne beatum Regnis eveniat,
titulîs ſuîs referunt.
Et quid eſt in Regimine Magnificentius, quàm idem, quod felix.
ſed niſi adſit virtus,
in qua *poſita eſt vera felicitas*;
dici & eſſe tale nonmeretur.
Niſi præſit ſapientia, quæ ipſis dominatur aſtris;
& cælos ſibi propitios inclinat;
nihil Regnis de influxu eorum benigno affluit.
Niſi exẽpla rectefactorũ, ut pote: *efficaciſsima lex & norma*,
in vita Imperantium eluceſcant;
Regimen felix & Magnificum non eſt.
Honoris Magnificentia inde eminet,
ſi magni animi & meriti Viros ambiat;
quod, ut felicius nihil, ita nil auguſtius habet.
Auguſtus in Purpura, Orbis Univerſi Majeſtas,
Titus in ſolio, generis humani deliciæ.
Galbæ ſilicerniũ in murice, Domitian9 cum ferreo ſtylo inter muſcas,
infamia Majeſtatis & in larva ridiculus honos.
Nimirùm,
Pumex in annulo auream gemmarum ſedem,
quam adamas, aut topazius ornat, dedecorat.
Hinc gemmis honor; inde aureo honori probrum.
Infelicis ille deſpectûs; hi ſunt eminentiæ proſperioris indices:
ille nec rotâ fortunæ atteri dign9; hi inſerendi coronis.
Sanè dantibûs documenta rebûs,

 quan-

quantùm ineſt virtutis, eruditionis & meritorum
Viris Principibus;
tantùm inde Honori Majeſtatis, Majeſtati felicitatis
& Magnificentiæ,
adeò;
ut vectigales Orbis applauſus mereantur,
Coronas & Panegyres.
Sub his feliciſſimis auſpicijs
Regimen verè Magnificum
in Te
*Magnifice Perilluſtris & Admodùm Reverende Domine,*
D.M. FRANCISCE
KALEWSKI,
Sacræ Theologiæ Licentiate,
Vniverſitatis RECTOR
Vigilantiſſime,
hodiè Theologicâ Laureâ
Coronatum.
Regimen illud,
primùm in Regno Virtutum,
mox in Regno Sapientiæ,
omnibûs rectefactorum numerîs abſolutum.
Conſentit cum flore fructus, cum aurora meridies.
Vix degenerat à tenero maturus Vir.
Imò
ex ungue leones diſcimus, ex infantia Viros.
Flores

Flores imbellem probant Adonidem.
Invictum Herculem serpentes in cunis elisi.
Quantus crevisti à fascijs ad Fasces,
non vano omine, Literarios;
jam in sinu benignioris Lucinæ,
ex primis Virtutum lineamentis noscebaris.
Moribûs ingenuìs quantùm inter cæteros eminebas adolescentes,
maturæ dotes, agmine claro Te circumstantes;
cùm in Coronam Tibi sinuarentur,
jam Te Domi Tuæ, recti, honestiq; Regem, non puerum esse indicabant.
Phæbo dignam indolem Tuam Palladi mancipasti,
præsago spiritu,
illorum recturus animos, qui ingeniô vivunt.
Felix mancipium,
nam: *benè imperat, qui sic subesse novit.*
Dilectus Musis,
& Musarum magnis Cultoribus,
tantùm effecisti;
ut in cordibus eorum jam regnares Alumnus.
Per arduos Parnassi colles gloriosiùs incedenti,
cessit Tibi Apollo sedem.
Dextrè in arena luctanti Literaria,
aperuit Campum Tullius.
Regiam Porphirius ex Arbore struxit,
facilè Principi animorum.
Parum erat,
nisi, quos in amorem Tui traxeras,
Te traherent ad Craciam Minervam
Summi Ingeniorum Æstimatores;
non falsò ominati: dulce Tuum Natale Solum,
Majorem Poloniam;

illam Magnorum Altricem Virorum,
vasto & ultra annos dilatato spiritui Tuo non sufficere;
nimisq; angustum fore domicilium,
ni etiam Regni Athenas peteres.
Gratus Hospes Regijs Musis aderas;
ut ad mentem earum saperes,
studuisti.
Mox arbitriô eruditi Senatûs & applausu,
Coronæ Philosophicæ hæserant Capiti Tuo libentes;
ceu noscerent, quàm dilectam Peripato frontem coronarent.
Doctarum hæc præmia frontium,
ad altiora evocârunt animum,
ut Caput, quod Pallade dignum, svaviùs presserant,
MYSZKOVIANO inferres Parnasso.
Marchionalibus Musis,
tantùm inde accessit lætitiæ,
quantùm priùs mæroris Kielcensibus:
quæ, Te Præside suo mutante sedem,
illinc, nimiùm pertæsæ, migrârunt.
Cultura ingeniorum quanta in hac Colonia,
quam Doctissimus annis cum pluribus incoluisti Professor,
ex Tua cultissima conijcimus mente,
ex Tuæ gloriæ messe;
cùm sint gloria Chironum, docti Achilles,
colligimus.
Didiceras sapere, non ut emineas, sed prosis,
more *fertilium arborum*,
*quæ onustos fructibûs vertices inclinant*,
*majori cum laude, quòd plures germina sua carpentium*
*oneraverint sinus, quàm quod emineant ramis.*
Quidquid enim in Grammaticis eruditus callebas Palæmon,
tenellis instillasti mentibus.

Ex

Ex fontibus quidquid hauſeras Aganippeis;
ex Te omnes hauſerunt abundantiùs.
Quidquid ex florido Tullij legiſti Campo;
totum id ſibi in magnos verborum cumularunt acervos
Eloquentiæ Tuæ Cultores.
Dignum erat, ut Caput Tuum, aurum optimum;
quod monti Myſzkoviani Parnaſſi intuleras;
ad Magnificum Regimen:
ad Regimen (inquam) Magnificarum mentium erigeres;
natus non Tibi, ſed uſibus Orbis.

# Gentilitius
# TĘGOBORSCIORUM
## SRZENIAWA,

pretioſîs orbem inundans fluctibûs,
Te hîc Orpheo Diviniore dulcia modulante,
curſum ſuum ſiſtere,
pluſquam Xerxeîs catenîs, ligatô Tuô invinculari ſtylô,
gratô eloquij ſuſurrô, more fluentium undarum, flecti,
felicitati duxit.
Vnde inæſtimabiles, quos volvit, Vniones,
in STEPHANO CAPITANEO Bochenſi,
vel ſuo Nomine coronâ digno,
in JACOBO, ni huic fata longiorē vitā invidiſsēt,

# TĘGOBORSCIIS,

Tuô ingeniô tanquam Lydiô probati lapide,
pretium ſuum in pretio haberent,
in publico nitentes.

# Avitæ
# WOŁOVICIORUM
## SAGITTÆ

Tibi pharetrato, quia nobilioribûs instructo artibûs,
Apollini suo cessêre;
ut arcu Tuæ prudentiæ emissæ,
altera in Dominico, altera in Martiano,
WOŁOVICIIS,
ad metam Honorum felici impulsu dirigerentur.
Insignia Decora Poloni Orbis
KOMOROWSCIORUM
FLUMINA
intra Parnassi juga,
Te Phæbo prospiciente,
avidiùs fecêre illapsum,
reflexo Clarissimi ingenij Tui lumine
suos multiplicatura splendores:
optato eventu,
in Ternione Nobilissimo,
STEPHANO, ADAMO, JOSEPHO,
Illustrissima.
Nec immeritò Regimini Tuo parere elegerunt
Magnifica Nomina,
quæ probus & innocens animus, idemq; solidè eruditus,
quo

quo ſemper excellis,
innatâ vi & occultâ,
nempe, velamine modeſtiæ tecta Virtute,
Tibi adhærere coëgiſti,
eâ violentiâ,
qua gemmæ adhærent auro, & ab illo tenentur:
pulchriùs eminentes.
Hinc favor in Te,
*ILLUSTRISSIMI olim & EXCELLENTISSIMI*
DOMINI,
D. JOSEPHI
GONZAGÆ
MARCHIONIS in Mirow
MYSZKOWSKI,
CASTELLANI SANDOMIRIENSIS,
tantò propenſior,
quantò dexterior in Regimine erudito ſpectabaris.
Arbiter hic ingeniorum & Princeps,
cujus Athenæ Caput,
eò Te majoribûs cumulabat gratijs,
quò plures ex Athenæo ſuo Marchionali,
utraq; Pallade dignos:
quia & Togæ & Sago non ineptos;
ſpe non inani:
gratos Patriæ Cives,
Conſos & Cyneas futuros,
plaudente Tuo Nomini fama,
prodire vidit.
Directoratum Tuum jam tunc, ut etiam Ipſe Magnificum redderet,

C obruere

obruere Te benefica manu voluit;
in Bonis Marchionatus sui Beneficia offerendo:
nisi elegisses multa mereri FRANCISCVS non habere,
optimè gnarus:
*non tàm à magnis fortunis, quàm à magnis meritis,*
*& à magnis operibus Nomen Magnifici derivari.*
Magnis ergò intentus eras.
Lingua Te prodit facundissima;
quæ, ut mentis, ita laborum eruditorum interpres est.
& si tacueris,
Clarissima sunt opera Tua;
ingeniosô exarata calamô,
aurô cedrôq; notanda.
Via in Domum Æternitatis,
ad funebralem pompam
*Illustrissimæ olim & Excellentissimæ*
MARCHIONIDIS in MIROW
MYSZKOWSKA
CASTELLANIDIS SANDOMIRIENSIS;
lugubrî quidem stylô delineata;
sed floribûs & gemmîs verborum Tuorum strata,
Appiam triumphalem dixerim,
satis indicat,
quam viam in statione Academica,
laboriosus dilexeris Hercules.
Harmonia
concordi Virtutum resonans concentu
B. JOANNES CANTIUS
corde

corde & ore,
pennâ & foliô Tuô
Vocalis,
nil aliud sonat,
nisi optimam laborum & meritorum,
Virtutum & Sapientiæ,
cum vita Tua consonantiam.
Quàm fueris inter Scholasticos angores lætus:
inter discordes rerum eventus, concors animô;
unde: *apparet Virtus arguiturq;*
domesticæ pacis & CANTIANI Moniti:
Conturbare cave.
amantissimus,
hæc dulcis melodia promulgat.
Templum Honoris
ad Sacram Theologici Doctoratûs Coronam
*Perillustri & Reverendissimo Domino*
D. M. MARTINO
WALESZYNSKI,
Sacræ Theologiæ DOCTORI, & PROFESSORI, Collegij Majoris SENIORI PATRI, Ecclesiarum, Cathedralis Cracoviensis CANONICO, &c.
Magno rerum Academicarū Statori,
Phænici eruditi Sæculi:

Coronarum Vavelli Gemmæ inæstimabili,
Principum Amori,
Cordis Tui Delicio,
reseratum;
Tibi Ipsi solenni ritu applaudit,
quòd tàm Magnificum Opus:
ut Magnificos decet,
undiq; exquisitâ materiâ struxeris,
& splendidô verborum adornaveris apparatu.
Monimentum id magnæ Tuæ pietatis extat,
tàm erga superos, quàm erga terrestres Ioves.
Illorum Cultor,
Sacris in Exedris Ecclesiastes disertissimus;
Horum gesta, Arîs digna, in Templa convertisti;
quasi docueris:
*meliùs esse, facta Majorum colere, quàm imagines.*
Sic fidos inter labores,
quorum; *unius finis, gradus erat alterius*,
iveras à Minori ad Majus;
Non solùm ad Collegia,
ad quæ Te robusta Meritorum brachia intulêre;
sed à minoribus curis; si compendiô utar,
aut illa phrasi, qua: *maxima, dicuntur esse minima*,
ad majores in Orbe Literario solicitudines,
legitimâ semper consequentiâ,
ab excellentia operum, ad Honoris Magnificentiam.
Nondum Philosophicum consummaveras Cursum,
jam Te Decanalis texit Purpura;
ut, quem ad laborem Regium, quia *Vladislavianum*,
præcursorem novit dexterrimum,
in

in Principe laborum & animorum,
cujus pectus ad ardua quævis Divinô incaluerat enteô,
eminere non erubesceret.

Non hîc meta,

Major Domus, majorum curarum sedes est;
præter domesticos, publici se ingerunt concatenati labores.

Non solis Te consecraveras Aris,

Mysta sacerrimus:

etiam primò introituris ad Altare DEI
in vota cessisti, an in victimam,
valetudini Tuæ non parcens,
Octenniô Doctissimus eorum Examinator.
Delectus à Summis Viris ad hanc crisim ingeniorum,
ostendisti in crystallo animi Tui, quàm niteres;
cùm ad speculum Tuum alij componerentur.
*Revelasti unicuiq; quàm luci eruditæ vicinus steterit,*
*nec dissimulasti ex Tripode veri, si quid ad speciem fucatum,*
*locutus animis tàm exactè omnia, quàm intus agebantur.*

Locutus es,

& ecce Cathedræ Ecclesiasticæ,
feliciùs Tonantem audire Periclem,
omnes appetunt.

Divina Oracula,

quæ ab ore Tuo Cracijs toties in Basilicis
sonabant svaviùs & sonant,
cælo vicina Vavelli juga eò gratiùs excipiebant,
quò plures gemmas non verba,
unô propè lustrô,
Trinis inserebas Coronis.

Magnum erat Jubileum,

cùm Insulatis coram Capitibus & Principibus Viris,
gravi verborum Tuorum pondere,
cadentes in scelera ad pænitentiam erigeres:
frigidos ignitô eloquiô Tuô animos
Divinus ad amorem DEI Zelotes inflammares.
Modica sunt, arbitriô Tuô, quæ egisti,
majora audes;
nempè:
*assvefactus maximis animus, magna etiam deinceps,*
*parva judicat, & quidquid maximo additur,*
*exiguum æstimat.*
Continuîs, ut alimentô Virtutum, nutritus laboribûs,
multorum gradibus Meritorum innixus,
Theologicam conscendis Cathedram.
Non ut quiescas à curis liber,
libris incumbens operosiùs;
Sed Thomistico intentus Phæbo,
ad motum ejus indeficientem,
Cursus absolvas Angelicæ menti conformes,
velox ingeniô & indefessus.
Olympia hæc decurrere & pro illis,
qui priùs vitæ cursu finito, quàm labore,
metam Æternitatis attigêre,
minimè recusasti;
præter arcana cælestium scientiarum,
normam quoq; Professionis Academicæ speculando,
in qua: *non priùs manus de tabula,*
*quàm in tabulam corpus.*
In Morali Cursu exactissimas leges Virtutum, viamq; mandatorum,
In Sacramentali viam salutis tenere,
exemplô doces.
Evincis, quod operaris erudiendo,
dum

dum in publico Literatorum Consessu;
Domi, tum aliena in Acie,
non sine triumpho & plausu,
lingvâ & ingeniô decertas;
optimus ut sit,
Virtutum, Operum, ac Sapientiæ Tuæ;
ex contrario concentus.
Benè est:
*Virtus dum dimicat, micat.*
Lumen doctrinæ à Thomistico mutuatum Phæbo;
quod in Te maximum est,
ab opposito magis elucescit.
Regimen ipsum in Regno Sapientiæ,
à devictis Imperioq; animi Tui subjugatis,
in eruditis certaminibus, aliorum ingenijs,
Magnificentius in Te eminet.
Quid ni Tibi Iagellonica Pallas Fasces suos inclinaret,
cui tantus in animis & in Orbe Literario triumphus.
Feliciùs nulli, quàm Tibi,
Magnifice Domine RECTOR,
Sceptra Rectoralia cessêre,
Qui par Summis Viris ad regendos animos natus,
factus es ingeniorum Magnus Apollo;
Tecumq; Sapientiæ Delphos ùbiq; circumfers.
Posueris quanquam infra Te Insignia hæc,
magnum effugiens honorem;
sed *umbra virtutis honos, eam vel invitam sequi debet*,
*ne, dum suô destituitur præmiô, sine honorario comitatu*
*apud alios vilescat.*

Evitabas omnibûs eminere,
inde major Tui apud omnes æstimatio.

Nam:

*Prostat ubiq; pumex & alga, gemmæ sub concha sunt.*
*Plumbeæ animæ tollunt ad fastigia manus,*
*aureas mentes ægrè cogas.*

Magno & præcellenti animo Tuo placuit
*sine dote Virtus, sine ambitu honos;*
*cùm ad utriusq; coronam sufficiat meruisse.*
Sic tamen reluctantem eò ardentiùs Rectoralis appetijt Honor,
ad cujus fastigium
votîs concordantibûs omnium, cordibûs applaudentiũ
illatus es.

Veneramur Majestatem Tuam
Augusta Magni Jagellonis in Aula.
Quanta sit?
ex numeroso comitatu Virtutum,
ex ingenti Meritorum pretio,
ex splendido Sapientiæ apparatu,
ad solem publicum, sub nube modestiæ Tuæ,
facilè conijcimus & miramur.

Ampliùs latere nequit,
quidquid pectoris Tui in penetralibus,
sipariò humilioris de Te sensûs
velatum est.
Liquida sunt, quæ, ut vitrum rosam, Magnificentiam Tuam produnt,
eò splendidiorem
quò innocens Tuus candidior animus.

Regi-

Regimen Tuum quàm felix?
novimus:
*fortunatum esse Imperium, quod cum cælo commercium habet.*
Prima de DEO cura,
cui Tu maximè incumbis,
Principatum reddit secundum.
Quàm prudens?
Centoculô vigilantior Argô demonstras.
Catone gravior in serijs,
in dubijs Ulysse cautior;
Secutura acrî judiciô penetrans.
Curas, ne in turbido venientes, tumultuariæ exeant,
ita svaviter excipis;
ut videantur priùs ordinari, quàm irruere.
Quàm potens?
Indefessum videmus Te Atlantem,
Cujus lacertis incumbunt tot erudita lumina, tot Orbes;
*habentq; suos excentricos, ut motibûs etiam contrarijs eant.*
Grande onus, nullumq; Sceptris operosius,
quàm liberis imperare mentibus.
Tibi soli (dicam audentiùs) divinitùs concessum:
lenî Imperiô & eloquiô potentî
flectere animos, corda devincere.
Adversa quæq; Reip: Literariæ impendentia,
procul ab erudito Orbe propulsare:
Quàm pacatum?
Regis ad exemplum totus facilè Orbis componitur.
Serenitas mentis Tuæ in suo radiantis diaphano,

E mo-

morum temperies,
Animus nullâ impetuum fluctuans procellâ,
pacata intus omnia,
puro conformia cælo,
tranquillum reddunt Imperium.
Tibi innatum molestos dissidiorũ compescere fluctus,
tempestatesq; sonoras,
ac si:
*nunquam saniorem credas Remp: quàm ubi turbati Civium humores, Regentium attemperantur humoribûs.*
Oderint pacem turbatores ejus,
Tu nihil magìs amas:
nil magis æstimas in Corona Sceptrorum Rectoralium,
quàm vinculum charitatis & animorum unionem.
Quàm Magnificum?
Magnifica testantur opera.
Jovem Te credimus benignissimum,
vel ideò sæpiùs devoto ore Tonantem;
ut aureìs Cælum, favorum suorum depluat nobis imbribûs.
Phæbum colimus in Parnasso Tuo,
æquè omnibus gratiosîs allucentem radijs:
æquè de Tripode Scientiarum,
erudita pandentem Oracula.
De Thesauris Sapientiæ Tuæ quidquid profers,
liberaliùs in Orbem spargis Literarium.
Munera quæcunq; subis, Magnificentiam Tuam loquuntur.
Cælites laudibûs Te suîs extollunt,
quorum, munificâ dexterâ Honorem auges.
Basilica Zielonecensis
suum nacta FRANCISCUM,
Late-

Lateranensi non invidet;
ab extra manibûs Tuîs sustulta liberalibûs;
intus decoribûs splendidioribûs nitens.
Quàm pius es in Aras Divorum,
tàm inde Magnificentior;
cùm: *Sacra opera opes adaugeant.*
*Quæstuosissima est pia in superos liberalitas,*
*dum cælo censum pendit, nunquam sine censu est.*
Quàm pulchrè spōsas Christi, quibus prætulges titulîs,
splendido apparatu exornas,
erigis, fulcis;
tàm pulchrum in Regimine Tuo mereris Nomen,
verè Magnificum.
Vt Superis laus prima est,
ita Principibus placuisse Viris non postrema.
Tu Regni Procerum generosos animos,
funiculîs magnarum dotum Tuarum,
in amorem Tui traxeras,
adeò;
ut promovendo Sanctorum cultui,
Bono communi conservando,
& Nobis,
benè sit apud Illos propter Te.
Majestatis, Legumq; Custodes, Iustitia & Veritas,
Tibi pari jure dilectæ,
gratulari sibi videntur, quòd pectus invenerint,
in quo Magnificentiam suam explicant.
Narrabunt de Te sæcula,
quæ HISTORIOGRAPHUS PETRICIANUS
fastîs imples, factîs animas;

Posteritati ad cautelam:
*esse tantùm in vita, non esse vitale ad gloriam.*
Vnica Virtus Coronam non implet.
*Cæteris hominibus singulæ ferme virtutes sufficiunt,*
*pauciores Princeps habet, nisi omnes habeat.*
Circulus vitæ Tuæ minimè vitiosus est,
à puncto infantiæ, ad hodierni honoris punctum,
omnium Virtutum lineamentîs constat,
omnî meliorî scientiarum efformatur metallô:
omnibûs pretiosîs meritorum gemmîs distingvitur;
Magnifico Regimini Tuo,
desinens in Coronam.
idest;
Sacram Lauream Theologicam.
Benè convenit conscia immortalis gloriæ Virtus,
cum lauru immarcescibili.
Intelligentia cum sphæra cælesti.
Atlas cum Orbe suo.
Felix sæculum,
ubi
in erudita tempora Tua suprema devolvitur Corona.
Redeunt novissima ad primum.
Redijt honos ad Sceptra,
quæ pridem in Stemmate Tuo ferebas.
Sceptris sua reposita Corona;
dum Sceptrîs digna geris.
Felicitas Tua nostrûm est,
nostris consona votis.
Quod precati sumus à superis, evenit.
Illâ redimiris Laureâ, cujus centrum Cælum,
Tibi

Tibi terrestri Numini conforme.
Sphæra Solis Justitiæ,
Phæbo Nostro sinuatur in Coronam.
Thronus Sapientiæ,
Majestati Capitis Tui defertur.
Novus Orbis;
cujus Incola, solus DEUS,
Columbo innocenti cedit.
Post amænissimum ætatis Tuæ Ver:
post fervidam in æstu laborum Æstatem,
Autumnus,
Cælestium fructuum ferax,
Magnifico Regimini Tuo
in proventum redit.
Redijsse & nobis potiora lapsis autumamus tempora,
devoluto ad Te Sacratioris fortunæ Orbe;
cujus motu,
concitamur in plausus Tibi gratulatorios
Dignissimorum Hospitum Corona
applaudit,
Coronato Regimini Tuo.
Orbes Academici
animorum suorum Victori,
desinunt in triumphalem Currum.
Clientes Tuîs mancipati beneficijs,
in victimam.
Quorum ego minimus

F ad

ad Aram Magni Nominis Tui
appendo Vota:
ut Sphæram, quam ingreſſus es,
Honoris Theologici,
Summi in Eccleſia DEI;
& in Orbe Academico,
ambiant Honores;
Teq́; ut centrum ſuum, Tuumq́; Regimen,
in Pylios annos
proſpiciant

# Benè & feliciter.

